

tatis, & utrum evitetur sufficienter ea turpitudinem modo praedicto. Canonistis determinandum relinquitur. Majus multo incommodum habet urinæ incontinentia, quæ ex calculo velicæ fit, ob dolorem enim & cruciatum in reddenda sæpe sapiens urinam non facile potest vitium calari, itaque neque facile vitari poterit Irregularitas.

5 Velicæ autem calculus molestissima, ac lævissima passio est, ex qua homo perpetuis cruciatibus in urina aliquando per vim, & cum maximo conatu reddendo, aliquando vero coacte, & involuntarie, ut jam dictum est, obnoxius esse solet; ex ea igitur passione causari Irregularitatem non videtur dubitandum, quippe cum homo liberum corporis usum non habeat, sed inter agendum, quæcumque tandem agat, cogatur urinam, ut dixi, cum dolore, & ardore, & anxietate maxima reddere, unde non solum habet impedimentum liberi usus corporis, sed etiam turpitudinem, & indecentiam; quamobrem nulla causa est, quin & à promotione, & ab administratione sacrorum arceantur, nisi secus Canonistis visum fuerit determinare.

S V M M A R I V M.

- 1 Morborum partium genitalium, qui Irregularitati causam dare possunt, enumeratio.
- 2 Vera Gonorrhæa quid, & an faciat Irregularitatem.
- 3 Involuntaria pollutio quid, & an faciat locum Irregularitati.
- 4 Pseudogonorrhæa quid.
- 5 Castrati, & Eunuchi respectu Irregularitatis contrahentes qui veniant dicendi.
- 6 Qui post pubertatem emittuntur magis habiles ad omnia, quam qui ante pubertatem, & qui Eunuchi nascuntur minus quam ceteri omnes.
- 7 Qui uno Testiculo dotantur non sunt ut ceteri Eunuchi habendi, neque idcirco puri Irregularitati sunt obnoxii.
- 8 Virilitas medicaminibus amissa, an faciat locum Irregularitati.
- 9 Hermaphroditum plures species, & quoniam videantur posse inducere Irregularitatem.
- 10 Is cui Penis abscissus est, an sit Irregularis, ut in lege veteri.
- 11 Libentius videndum dispensandus is, cui Penis est abscissus, quam ille cui abscissi fuerunt Testes, aut quicumque Eunuchus.
- 12 Qui cum Glanide imperforata nascuntur an, & quando Irregulares sunt, & quando facilius dispensari, posse videantur.
- 13 Priapismus quid sit, & an irregularem hominem facere debeat.
- 14 Satyriasis quid differat à Priapismo, & cur hominem facere debeat Irregularem, qui dispensari nullo modo possit durante affectu.
- 15 Hermaphroditorum plures species.
- 16 Quidam nascuntur Hermaphroditis, aut tales judicantur, ob latentiam virilitatem, cum mares sint.
- 17 Hermaphroditis femines sexus, & insensibilis perfectissimi Hermaphroditis descriptio.
- 18 Hermaphroditis omnes Irregulares.
- 19 Hermaphroditus qui penitus in feminis sexu non incaluit, an sit Irregularis.
- 20 Hermaphroditus omnes muliebri animo, ac moribus videntur dotari ut plurimum.

De vitii Membrorum generationis.

Q V A E S T I O XIV.

IN his quoque partibus vitia quædam, ac morbi adnotantur, qui Irregularitatem inducunt, aut saltem dubium in ea re excitare possunt; sunt autem præcipui Gonorrhæa vera, vel seminis profluvium, Pollutio involuntaria, Pseudogonorrhæa, vel Gonorrhæa Gallica, Testium defectus, Penis privatio, Glans imperforata, Priapismus, Satyriasis, & quædam alia vitia circa sexum, de quorum nonnullis Canonistæ ne verbum quidem, cum tamen sint multa consideratione digna.

Quoad veram Gonorrhæam, hoc est veri seminis profluvium, certum est in Lege veteri ipsam repulisse ab administratione in templo homines, ut habetur Levit. cap. 21. & seq. nec injuria, cum passio sit admodum verecunda, & periculo non vacet, ex ea enim homo, si diu perseveret, in Tabem, seu Marasimum incidit. est autem hæc passio involuntarium veri seminis profluvium absque Penis erectione, & absque prævia venerearum rerum ulla imaginatione; videtur igitur, quod licet turpitudine ab ea emans non sit patens, sed facile calari possit, indecentia tamen ab ea proveniens sufficiens esse debeat ad inducendam irregularitatem, cum respiciat sacramentorum Irreverentiam non obstante quod semen involuntarie effluit, & absque ulla delectatione. Nota autem quod, ut diximus, duplex est Gonorrhæa, vera scilicet, de qua locuti sumus, & falsa, Pseudogonorrhæa vocata, nempe Gonorrhæa Gallica, de qua inferius, majoremque turpitudinem esse ex parte prioris, & majorem etiam irreverentiam importare illam, quam posteriorem, non obstante quod hæc posterioer est Gallici morbi semineis, ut plurimum perveniat; & ratio est, quia in vera Gonorrhæa ipsissimum semen genitale effluit, & licet ut plurimum absque delectatione effluat, quandoque etiam non omni sensu delectationis privatur, quod quidem turpissimum est, & omni indecentia concomitatum. at in falsa Gonorrhæa non verum semen, sed materia quædam serosa, aut alterius conditionis interdum genitali semini non ab similibus expurgatur, sed semper absque ulla venerea delectatione.

Sed adhuc majus multo dedecus inducitur ex involuntaria pollutione: nam quidam minima ex causa & dormientes, & vigilantes, ut ex solo aspectu pulchre mulieris, vel lascivientis hominis, vel Bruti pollutantur; quæ passio in hoc à vera Gonorrhæa differt, quod in Gonorrhæa vera nullus est, aut saltem modicus, neque perpetuus delectationis sensus, neque Penis erectio; at in pollutione involuntaria semen ejicitur cum consueta voluptate, & Pene erecto non alias quam cum data opera in celebranda venere emittitur. Iamque nonnullos huic passioni obnoxios & ego ipse non semel vidi, & indies ab aliis Medicis alii observantur, de iisque alias lib. 2. de Morbo Hypochondr. cap. 12. mentionem habui, ubi loci aliquos me vidisse memoravi, qui simplici lascivæ mulieris aspectu, aut sermonis lascivi auditu, vel ex inspectione brutorum inter se coeuntium, quinimmo interdum ex suppositorii, vel clysteris receptione pollutionem patiebantur. hæc ex feminis acutæ, aut partium debilitatam fecerunt.

Quaestio XIV.

De Irregularitate.

secundum retentricem, vel ex utraque causa juncta tamen valida imaginatione proveniunt; ac de his quidem quod nec promoveri debeant, nec promoti ministrare, dubio non esse locum existimo.

4 Pseudogonorrhæa est, ut dixi, profluvium ejusdem materiae seminali interdum similis facta à prava qualitate per contagium introducta in ipsis natis feminariis, & quia de ea verba faciendi iterum sunt, cum de morbo Gallico discedendum erit, pro nunc nihil addam, sed illud tantum repetam differre hæc à vera Gonorrhæa per ea, quæ jam de utraque supra dixi.

5 Testium defectus, continet Castratorum, Eunuchorum, & similibus species omnes, de quibus sermonem instituere paro. Ad hunc igitur effectum Castratos, & Eunuchos eos omnes vocandos censeo, qui naturali usu Testium privantur, hoc est virtute generativa, & virilitate, sive id per castrationem, sive per attritionem, sive per contabescerentur eorum fiat, atque id ipsum sive à Natura, sive ab Arte, sive ex accidenti contingat; & ulterius sive omnino deficient, sive tam exigui sint, ut nulli usui esse possint, sive etiam situm suum non servant. Hi ergo omnes eodem Irregularitatis vinculo obstringantur. Majol. lib. 1. cap. 15. num. 1. atque id duplici ex causa prima ob defectum membrorum, secunda quod vitari sint, & naturam induant muliebrem ut alias diximus, & ad hoc argumentum repetit Majol. ubi mox num. 2.

6 Notandum autem quod hæc naturæ mutatio in muliebrem magis predominatur in iis, qui ante pubertatem emittuntur, quam in illis, qui emittuntur post pubertatem, jam enim transacta pubertate calor partibus communicatus est, qui ad virilitatem hominem disponit, quod non potuit succedere ante pubertatem. Quinimmo qui tales nascuntur multo magis muliebri naturæ accedunt, quam qui castrantur; & tales quidem omnino mulieribus comparantur, nec magis habiles ad sacra ministranda judicantur, quam ipsæ sint mulieres, nisi forte Testibus ab omnino priventur; sed reconditos eos in inguinibus habeant, ut nonnullis evenire quotidiana docet experientia.

7 Notandum præterea quod ea, quæ de inhabilitate, & de naturæ mutatione in muliebrem dicuntur, locum non habent in iis, qui uno tantum teste dotantur, dummodo, si hoc à natura fit; servet debitam magnitudinem & situm; nam experientia constat viros nonnullos virtute, & rerum gerendarum solertia, & sanctitate conspicuos cum uno teste natos; ut de Cocta, & Sylla, ex l. Qui cum uno Testiculo. ff. de re militari, dixi alias lib. 2. harrum Quest. vii. 3. quest. 6. num. 4. & Eminentissimum Principem, ac Dominum meum singulari prudentia, ac morum suavitate, omnique virtute conspicuum, cum uno Teste natum tractavi; ex quibus clare patet unius testiculæ privationem nec naturam in muliebrem immutare, nec mores deteriores efficere, nec quicquam de virilitate demere; id enim sibi voluit cit. l. Qui cum uno Testiculo dum natos uno testiculo, vel etiam uno ex eis non prohibet militare. Si ergo ullo modo Irregularitas habeat locum in iis, qui uno testiculo dotantur, certe ea ob membri tantum privationem habeat locum, & erit omni facilitate dispensabilis, forte etiam dispensatione non egere Canonistæ ex memoratis causis iudicabunt, quibus ea res releganda. certam autem est, talem membri privationem nullum cor-

poris usum impedire, nec turpitudinem aliquam inferre, aut si quam infert, facillime occultari, neque naturam in muliebrem immutare.

Quoniam vero virilitas non solum ex privatione Testium admittitur, sed etiam medicaminibus dobitari contingit hic, an hi quoque ut alii castrati irregulares sint: nam de origine narrat, & refertur ab eodem Majol. ibid. num. eod. quod adhibita testibus nescio qua herba virilitate se privaverit; & Medici ipsi nonnulla medicamina ad id proponunt, quibus testes contabescant. Sed advertendum quod hujusmodi remedia si ante pubertatem admoveantur possunt suum effectum utcumque fortiri, sed si post pubertatem, & maxime post provectam ætatem suo effectu omnino frustrantur; idcirco quid de Origine dicendum sit, hinc patere potest, & mirum ipsum potius ferro, quam aliquo medicamine se virilitate privasse. Ad dubium videtur dicendum, quod ubi virilitate etiam per medicamina quis privetur, & vigorem naturalem amittat, & in muliebrem naturam abeat, videtur eandem irregularitatem habere, quam alii.

Verum quia in Oscheo, seu Scrotto, & Testium receptaculo sunt herniæ, de iis quoque aliquid dicendum. ea quidem plurium specierum sunt, atque interdum ad eam magnitudinem deveniunt, ut homines cogantur subligaculis tumens scrotum sustentare; sed intestinalis Hernia majorem multo in modum, quam aliæ, plerumque excrescit, omnia enim intestina in scrotum decidunt, ex quo non modo insignis turpitudinem, sed maximum incommodum in libero corporis usu emanat. quinciam hujusmodi herniosi obnoxii sunt ex improvise interdum doloribus colicis, & Iliacis, seu vulvulo, quamobrem determinandum erit, an irregulares sint, & an aliqua dispensatione, vel nulla digni.

Quid sentiendum sit de eo, cui Veretrum, seu Penis abscissus est, videbatur determinatum per Legem Veterem Deuteronom. cap. 23. vers. 1. ubi hominem Veretro abscisso non alias, quam Eunuchos ab Ecclesiæ ingressu Deus prohibuit, cum tamen multa; quæ in lege veteri circa id determinantur, in nova non habeant locum, videndum an & hoc ex iis sit; nam si quidem non alia ex causa tales à promotione, & administratione sacrorum debeant eliminari, nisi quia membro privantur, hoc bene procederet, cum tamen hoc neque ullum corporis usum impediatur, & si quam turpitudinem habeat facile contegi possit; quoad reliqua autem non videntur illi, quibus abscissus Penis est debere pari passu cum Eunuchis ambulare; nam Eunuchi mutant naturam virilem in muliebrem, & mores acquirunt deteriores, non sic autem evenit de iis, quibus Veretrum abscissum est, nam & retinet virilem vigorem, & pristinos mores in nihilo deteriorum conditionem sortitos. Sed quomodo concipiatur sit, certum est, ob talem membri privationem non esse omnino ab irregularitate hujusmodi homines immunes, sed facile dispensari posse, & si quid mihi pronuntiare circa hoc liceret, libentius, & minori multo cum difficultate dispensarem cum hoc, quam cum quuscunque generis Eunuchis.

Sed præter hoc vitium sive naturale sit, sive accidentale, aliud in ipso veretro adnotatur, cuius aliquando consideratio habenda est, illud autem est Glans imperforata; siquidem nonnulli nascuntur cum pene nullo foramine pervio; hi si quam aliam viam natura sibi non comparet ad urinam expellendam,

lendam in ipso vitæ primordio pereit; sed in iis natura aliam sibi viam parat, aperiendo orificium aliquod vel in ipso medio, vel ad veretri radices, vel sub testibus in Perineo, vel in inguinibus, vel alibi; & quia apparet id non evenire absq; multa turpitudine, dubium insurgere potest, an tales irregulares sint, & dispensatione indigeant, nec ne; illud controversi non potest, neque usum corporis fieri deteriorem, neque difficulter huiusmodi turpitudinem tegi posse, nisi urina absque sensu redderetur, & cogentur huiusmodi homines se ipsos urina conspurcare etiam nolentes, tunc enim major insurgeret turpitudine, & non modica indecentia inter celebrandum, si forte fortuna tunc temporis, ut facile fieri potest, se ipsos commingerent.

Denique turpissimus quidam affectus aliquando solet nonnullos molestante, qui duplex est, unus, qui Priapismus vocari solet, alter qui satyriasis. In 13 Priapismo Penis semper erectus manet, nulla interim venerorum appetentia sese prodente; ita ut dicatur Penis erectio involuntaria, hoc est absque proclivitate in venerem. In satyriasi Penis erectio 14 indefinens, & indefinens etiam, & inexplebilis venerorum appetentia; in quibus affectibus cum concurrat maxima turpitudine, ac summa indecentia non dubium est, quod iis detenti neque promovendi sint, neque administrare permittendi; cum tamen satyriasis sit multo magis turpis affectio, & reverentia; quæ sacris debetur, tantopere in hac ledatur, non dubium est; quia multo minus dispensabili Irregularitati hominem subiciat, quam Priapismus; licet facile mihi persuadeam durante affectu nullam dispensationem forte in his habere locum, quod ut cætera ad hoc negotium pertinentia Canonistæ determinare poterunt.

Circa sexum etiam nonnulla animadvertenda, cumque vitia huiusmodi constituant omnes species Hermaphroditorum, de his specialiter agendum; de quibus tamen singulis copiosioribus egi libro septimo precedenti harum quæstionum tit. 1. quæst. 8. per totam; sed hic ea, quæ inibi longioribus recensui, brevioribus transigam, ac tantum attingens, quæ ad hoc Irregularitatis argumentum, pertinere cognoscant. Dixi autem, Hermaphroditorum plures dari species, nam quosdam Hermaphroditos vere nasci constat, hocque vel utrumque sexum, vel neutrum habere conspicimus, ita ut cuius sexus sint non facile cognosci possit. sed Priorum tamen aliquos in alterutro valere constat, quosdam in utroque, quosdam in neutro. Verum aliqui non apparent nasci 15 Hermaphroditum, & Hermaphroditum certe non sunt, sed cum mares sint ob latentia virilia intra pubem pro feminis indicantur, sed pubertate instante virilia extra pubem exeunt, & ex feminis in mares evadere dicuntur.

17 Contra alii vero feminei sexus sunt, sed pubertatem egressi, & maxime si teneris stimulis agerentur, membrum Peni simillimum exerunt, quod nisi incalcescant, in actu venereo occultatur; incalcescentibus autem illis in coitu, erigitur, & in aliquibus duritie, & magnitudine Penem æmulans membrum emittunt, quo eorum nonnulli alias feminas calcare valent; Talem ego Hermaphroditum hinc diebus curiosus observavi una cum D. Nicolao Larche Chirurgo urbis primario, ac doctissimo, quem ad hunc effectum convocavi. Scortum erat cui nomen Elisabetha non illiberali forma, ætatis quadraginta circiter annos, habitu cano-

so, ac succi pleno, crassiuscula voce, gestusque & animi virilis, ac in masculos propensa. Verum ejusque partes optime conformatas habebat, ejusque labris diductis nihil omnino in conspectum sed dabat, nisi naturalis partium constitutio, prout feminas decet. Sed cum in venerem proripitabat in ima parte vulvæ prope perineon veluti tuberculum eminebat, qui incalcescente jam magis muliere in membrum exercebat quatuor transversorum digitorum longum, pollicaris crassitudinis, glandem habens molliusculem, sed præputio detectam, & in perforatam, ejus tamen duritie membrum erat, ut nullum virile membrum tam durum fieri posse credam; in cuius radice duo glandosa corpora prædictus D. Nicolaus observavit, testes imitantia, magnitudineq; Gallorum testes æquantia. Scimus autem certo certius eandem meretricem juvenelas solitam esse conspurcare, quas non alias quam vir aliquis adamabatur autem patria Vrbinas. Sed hic Hermaphroditus erat perfectus; alia femina non tam frequenter conspiciuntur tam bene constituta in masculino sexu, sed aliquando habent quandam excrecentem carnem intra uteri labra Penem imitantem quidem, sed neque ea duritie, neque ea magnitudine, neque ullis testibus dotatam; licet, ut alias ex Avicenna sive nescio quo alio Arabe dixi per eam spermatizent, quod difficulter admittendum.

De omnibus autem his indifferentes Canonistæ 18 pronuntiarunt, quod sint Irregulares. Silvestr. Corpore vitialis num. 5. & dixi ex Majolo ibi, & ex Hort. Fernard. in exam. Theol. Moral. par. 2. cap. 10. §. 71. interrogat. 5. Sed dubium movebam de eo Hermaphroditum, qui in virili sexu incalcescit, & femineum inutilem, & nullius usus sortitur, an ut alii irregularis sit existimandus, nam, ut addebam, deformitas in hoc, vel nulla, vel modica, nec major quam si leviter in alia parte corporis esset læsus, imo minor, ac facile occubabilis; adde quod si quæ Irregularitas ex scandalo, & indecentia incurri debet, ea quidem omnino cessare videtur ex frustrato sexu feminei qualicunque usu; nam ubi tantisper per illum incalcesceret, non esset dubio locus. Navarr. ubi supra cap. 27. num. 203. vers. 15. dico. Nisi ergo illud sit, quod mox subjungam, non tam gratis hi videntur irregulares pronuntiandi, qui nullo modo in sexu femineo incalcescunt, aut saltem facillime dispensandi. Verum enimvero illud obesse potest, quod etiam hi ipsi Hermaphroditum, licet minus quam alii, ut cæteri omnes videntur à virilitate deficere, & naturæ muliebri accedere; quia & moribus non adeo viro dignis dotantur, ut in quibusdam adnotavimus, quid vel ipsa facie, ac voce, muliebrem naturam præferunt, animoque demisso, ac femineo exiunt.

S V M M A R I V M.

1. Defluvium Capillorum duplex, & quoddam faciat hominem Irregularem.
2. Lepra, & Alopecia sunt superficialis carnis corruptio.
3. Scrophulæ quid sint, & an faciant hominem Irregularem.
4. Gula tumor duplex, & quandam inducere debet Irregularitatem.
5. Gibbosus non prohibetur promoveri, nisi magnam habeat deformitatem, aut debilitatem.

6 Gib.

6 Gibbositas species tres.

7 In quam gibbositas major inest, aut minor deformitas, & in quam major, aut minus sit vitæ detrimentum, & in qua facilius, aut difficilium sit dispensandum.

8 Gibbositas prima species, nempe illa, in quibus Tumor in dorso apparet; videntur habere formam contra naturam, cum provi in terram sint, contra formam hominis, quæ erecta est.

De externarum partium vitiiis, & primo de vitio Capillorum, cutis capitis, Colli, spondilium, & vertebrarum.

Q V A S T I O X V.

Abfoluto de internis partibus discursu, ad externas me confero, licet de internis tractantes coacti fuerimus de nonnullis externis loqui; atque à capite incipientes, primo sese offerunt capilli, qui patiuntur defluvium, non sine hominis dedecore, si alias ex culpa alicujus majoris morbi id eveniat; nam si ex naturali intemperie calida, & sicca vel etiam aliquo morbo, qui secum turpitudinem non habeat, neque scandalum excitet, fiat, & calvitie inducatur, nihil habet consideratione dignum, quod ad Irregularitatem pertineat. Verum enimvero ex duplici morbo, & utroque, quidem turpi aliquando capilli omnino defluunt, nempe ex Alopecia, quæ vulgo Tinea dicitur, & ex Leæ venera. Differt autem calvitium ab hoc defluvio capillorum, quia Calvitium occupat tantum Bregma, vel Sinciput, & verticem, at hoc defluvium omnes partes capillis denudat; sed in defluvio ex morbo Gallico non solum capitis Pili defluunt, sed & cilia, & supercilia, & quicunque Pili in quavis corporis parte emergunt, in defluvio ex Alopecia universi tantum capitis capilli decidunt. consequens ergo est quod defluvium capillorum ex alterutrius morbi prædicti culpa faciat irregularem, item ob scandalum minus forte dispensabile sit defluvium ex morbo Gallico, quam ex Alopecia. Alopecia autem, cuius species Ophialis est, turpis quidem est morbus, & hominem maxime dedehonestat, in superque habet secum conjunctum contagium, est enim ex genere lepræ, ut elicitur ex Levitico e. 19. vers. 42. & est quedam particularis capitis Lepra, utraque enim est superficialis corruptio carnis Arist. Probl. 20. part. 10. ex Iureconsultis Gloss. in cap. voluissent. de Penitent. faciet ergo Alopecia hominem non minus quam Lepra, irregularem; quemadmodum & alii nonnulli morbi cecam faciunt deturpantes vel solam, vel cum aliis membris, ut omnes hi sunt, quorum nomina tantum percurram, nempe Imperigo, Myrmecia, Leuca, Morphea, Albaras, Lichen, Papula, Volatica, Mentagra, Vitiligo, & id genus alii; quia id commune habent, quod ad rem nostram apprimè fuit, quod deturpant caput, & faciem, absque eo quod turpitudine occultari possit, quod contagiosi sint, & quod sint Lepræ affines morbi, & in Lepram ut plurimum degenerent.

3 Scrophulæ, quæ & strumæ contagiosus morbus & ipsæ sunt, & collum maxime (licet & alias interdum partes) deturpant. Tumores sunt in collo ut dixi, sub axillis, in inguinibus, alibi que pul-

lulantes; sed ad rem nostram ita tantum in consideratione veniunt, qui in collo apparent, curati summopere difficiles, & vestigium semper quandoque curentur turpe relinquentes, ex cicatricibus in illis curatis causticis (quæ medum maxime expetunt) relictis. Modo si morbus, qui & deformitatem insigniam affert, & contagiosus est facit hominem Irregularem Majol. lib. 2. cap. 19. subne. 2. certum est & scrophulas facile Irregularitatem inducere. Quibus tamen non obstantibus videretur dicendum, scrophulas, ubi sanatae sint, neque ut plurimum tantam inducere deformitatem, neque tam prompte contagio communicari, ut utraque, vel alterutra causa sufficiens videatur ad Irregularitatem inducendam; certe quoad deformitatem nunquam tam patens est, quin contemti aliquo modo possit, & quo ad contagium certum est, eas non esse communicabiles à quibusvis in quavis personis, sed à provectioribus ad minus provectas, & hoc etiam admodum de raro; saltem promptissime, si quæ Irregularitas ex eis emergat, dispensari cum huiusmodi personis poterit.

In gula porro, tumor interdum excitatur magnitudine insigni ex frigida materia eo loci decurrente, vel ex gibboritate, & vitio vertebrarum ipsius colli, quod non sine notabili deformitate fit, quæ videretur sufficiens ad Irregularitatem inducendam. Vocatur autem Tumor ille Græco nomine Broncocele, à Latinis Hydrops Guttaris, à Barbaris Bocium Gula; & differt quidem summopere ab eo tumore, quem ex vitio vertebrarum fieri dixi, quamobrem hic eo nomine non insignitur, certe in illo minus multo incommodum est, in hoc multo majus. sed deformitas & incommodum ab illo emanans (nisi monströse magnitudinis esset) non tanti faciendæ, ut non facile possit cum iis ab Episcopo dispensari. Huiusmodi tumoribus (ut hoc obiter dicam) Allobroges, & in Alpibus degentes, & quidam Hispani, alique nonnulli Populi ex affluxu humorum crassorum, crudorum, ac frigidissimorum ob potum aquarum crudarum, & frigidissimarum infestari solent, unde illud Iuvenalis sat. alias à me adductum

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus?
Contra autem evenit in iis, qui tumorem in collo patiuntur ex subluxatione, & vitio vertebrarum, nam & deformitas major, ut dixi, & majus sanitatis incommodum, de his Hipp. in lib. de Artic. hi enim majorem causam Irregularitatis habere videntur, & minus facile idcirco videntur dispensandi, quia gibbi semper permanent, ex quo deformitas augetur.

De Gibbositate autem nonnulla peculiariter dicenda, licet enim Canonistæ absolute dicant, Gibbosos à promotione ad sacra, & ab eorum administratione non repelli, nisi sit nimia deformitas, vel debilitas. Silvestr. in verbo corpor. vitiat. num. 5. in ff. ad majorem tamen cautelam, sciendum ex Medicis est, Gibbositatis plures esse differentias, de quibus inter modernos Daniel Sennert. lib. 2. Pract. part. 2. cap. 21. Tres præcipuæ tamen recensentur. 6 Prima cum vertebræ luxantur ad exteriora, ex quarum luxatione tumor in dorso apparet, & hæc proprio nomine dicitur Gibbositas, & eam patientes, Gibbi, Græce Cyrtosis dicitur, cybosis, & ybosis. Secunda fit cum vertebræ luxantur versus anteriora, & in dorso cavitas apparet, tumor autem sese prodit in pectore circa sternum; hæc gibbositas

tas

tas dicitur, Repanditas, Recurvitæ, & Gibbifitas ad anteriora, Græcæ Lodrosis appellatur, Ægri vero Repandi, & Recurvi. Tertia est cum in alterutrum latus vertebræ luxantur diciturque Græcæ scoliosis, Latine obliquatio, & Tortuositas, 7 Ægri vero obliqui, & Tortuosi. In singulis sua inest deformitas, major tamen, aut minor respectu magnitudinis tumoris & respectu loci, nam minor est in tertia specie, major in prima, maxima in secunda; itaque si cum aliquo dispensari debeat respectu deformitatis, facilius fiet in Gibbosis tertiæ speciei, difficilissimum in prima, difficillime in secunda. Quinimo etiam respectu incommodi sanitatis, & impedimenti liberi usus corporis, & debilitatis facilius dispensari potest in tertia specie, quam in prima, facilius in prima, quam in secunda, non obstante eo, quod dicit Majol. lib. 1. cap. 19. 8 circa deformitatem, quæ major ex ipso est in prima specie ob id, quod sit contra hominis figuram, quia ex hac gibbositate pronus in terram stare cogitur, cum homo erectus à Deo creatus sit; certum tamen est multo majus sanitatis incommodum fieri in secunda, & hujusmodi gibbosos magis debiles esse, & brevioris vitæ ob id quod internæ partes spirituales mirum in modum à laxatione ad interna videntur; & quoad deformitatem magis proculdubio conspicua est in secunda specie, quam in prima.

S V M M A R I V M.

- 1 Cicatrice faciei, & Macula quando faciam Hominem irregulam.
- 2 In cicatricibus quænam sint consideranda ad effectum in Irregularitatem causant.
- 3 Cicatricum magnitudo consideranda secundum omnes dimensiones.
- 4 Cicatricum inæqualitas respectu quarum rerum, consideranda ad hunc effectum.
- 5 Cicatricum Color quemodo eas faciat magis deformes.
- 6 Quænam partium Cicatrice sine magis deformes & num. seq.
- 7 Macula quid sit, & quando præbeat causam Irregularitatis.
- 8 Macula contractæ à nativitate sine incurvabiles, & quando faciant hominem irregulam.

De faciei, & conspicuarum partium Cicatricibus, Maculis, & defædationibus.

Q V Æ S T I O X V I.

1 Cicatrice, Macule, Stigmata, & id genus aliæ defædationes ad pulchritudinem pertinentes cum faciem deturpant non levi Irregularitati causam præbent, & licet forte in ea re decidenda, nempe utrum quis ex aliqua ejusmodi causa Irregularis censendus sit, necne, intret ut plurimum Ecclésiastici judicis arbitrium, non debitam tamen de his nonnulla addere, secundum quæ judicis arbitrium regulari debeat. Itaque de Cicatricibus primo dico, quod tamen quæcumque cicatrix in facie, dummodo alicujus considerationis sit, faciat hominem irregulam ob turpitudinem, quam

inducit, ex qua scandalum etiam emergit, tamen cum una majorem turpitudinem, & consequenter majus scandalum inducere possit, majorem & causam, & minus dispensabilem Irregularitati præbet, quam alia.

Itaque in Cicatricibus nonnulla consideranda, 2 quæ ipsas magis, aut minus deformes faciunt, nempe magnitudo, inæqualitas, color, & pars cicatrizata, vel cicatrice affecta. Quo ad magnitudinem igitur 3 dubio nequaquam locus est, quod quanto major Cicatrix est, eo majorem causam Irregularitati præbet, considerata magnitudine secundum omnes dimensiones, hoc est secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quo enim magis longæ, magis latæ, aut magis profundæ, vel elevatæ, eo magis turpes cæteris paribus judicanda; sed etiam respectu prædictarum dimensionum una est magis turpis, quam alia, unde magis vituperanda in cicatrice profunditas, quam latitudo, aut longitudo, & magis latitudo, quam longitudo, comparatis tamen inter se harum dimensionum excessibus.

Eadem ratio Inæqualitatis habenda, nam quo 4 magis inæqualis cicatrix est, eo magis turpis judicanda, & sic homo majorem causam Irregularitatis incurrit; sed & ipsa Inæqualitas respectu plurium rerum consideranda, ut dixi alias lib. 5. tit. 2. quæst. 5. num. 23. & seqq. nam magis tortuosæ respectu profunditatis, & eminentiæ non æqualiter profundæ, aut eminentis, angulosæ, aut in serræ modum obductæ, callum inæqualem habentes magis omnino deformes sunt, quam rectæ, æqualiter profundæ, & æqualiter eminentes, obrusæ, & contrarias qualitates habentes, & idcirco magis dispensabilis sunt his cicatricibus affecti, quam inferioribus.

Color quoque in Cicatricibus consideratur, quan- 5 to magis enim cicatrix à naturali colore recedit magis deformis judicanda, quia cæteris paribus magis pulchritudini officit, & sic luteæ, lividæ, nigre, & id genus aliæ magis fædæ, & magis hominem deformant.

Quoad partes autem non omni difficultate ca- 6 ret, cujus nam faciei partis cicatrix magis deformis sit censenda, sed ante monendum, non esse aliquod dubium, quod magis deformis censenda sit Cicatrix, quæ non simplicem unam partem occupat, quam quæ duplicem, aut triplicem cæteris paribus; unde magis deformis censenda Cicatrix, quæ Nasum simul, & genas defædat, quam quæ Nasum solum, & sic de cæteris. Fortun. Fidel. lib. 2. Relat. Medic. cap. 1. Cicatricum deformitates sic descripsit, voluit enim deformissimam Cicatricem esse in Naso, secundo loco in Malis, tertio in buccis, nisi contegi pilis Mylaciæ possit, quarto in labiis, quinto in oculis, sexto in fronte, ultimo in auribus; addamus nos eam, quæ in mento apparet; in superque eam, quæ in gula, & collo, si cæteri non possit, & insignis sit, aut alias conspicua, ut cicatrice sunt, quæ Scrophulæ exciæ, aut inusta relinquere, conlucverunt.

Sed non facile in his communi calculo consentientes doctores habebit Fortunatus; nam sicuti facile illi concedi potest omnium deformissimam esse cicatricem in Naso, sic non facile concedat aliquis fædiorem esse cicatricem in Malis, quam in Oculis; nam quæ in oculis est, ultra cicatrice deformitatem, necesse est etiam ut visionem lædat, unde deformitas augetur; immo neque magis conspicuam putabit

De vitii Brachiorum, Pedum, & Manuum, ac Digitorum.

Q V Æ S T I O X V I I.

Brachia aliqui tam brevia, & curta à Natura 1 sortiti sunt, ut insignem ex hoc deformitatem præferant, licet alias nulli impedimento sit eorum brevitatis nulli actioni naturali per ipsa faciendæ; & cum totum brachium pars sit adeo ad actiones necessaria, & maxime conspicua, non carebit omni dubio, utrum habentes brachia insigniter curta, ac ita brevia, ut non omnes actiones libere exercere possent, promoveri debeant, nec ne; quod dubium tanto magis urgebit cum simul cum brevitate jungitur eorum tortuositas, ut plerumque fit, ac videretur dicendum, quod quocumque sola brevitatis brachiorum impedimento non est ulli actioni, nec tortuositas est adjuncta non evidenter sufficientem causam Irregularitati præbere posse, aut saltem si qua causa est dispensari facile posse. contra vero si non libere actiones suas quis ob brevitatem exercere possit, aut si tortuositas ad se notabilis, & alterutram ex his causis, & multo magis utramque simul majorem causam Irregularitati præbere.

Retracta, seu attracta, vel contracta brachia qui 2 habet, ad liberum usum impedita ea sortitur, unde patens inde emergit Irregularitatis causa, atque ejus gravitatis, aut nullam dispensationem admittat; quod non minus habere locum credendum in eo, qui eadem brachia tremula habet, & paralytica, unde recte à Canonistis determinatum est, hos & à promotione, & ab administratione repelli. Majol. lib. 1. cap. 14. num. 9.

Manus proinde si deficiant ambæ, vel alterutra, 3 si obtorta sint, si ad actiones quoquomodo impeditæ, si tremulæ, ita ut non tuto ministrare possint, Irregularitatem inducunt indispensabilem, sed quia manuum usus potissimum in digitis est, ut patet, & firmat Gal. lib. 1. de usu Part. cap. 10. de digitis peculiariter agendum. Eorum certe non æqualis est utilitas, ut longioribus demonstravi lib. 5. harum Quæst. tit. 3. quæst. 6. nam omnium summa utilitas in apprehensione, & retentione, sed in quibusvis actionibus major utilitas Pollicis, & Indicis, unde in celebrando etiam tanta necessitas utriusque est, ut eorum carentia Irregularitatem inducat apud Canonistas irremediabilem, cæterorum nequaquam Majol. lib. 1. cap. 14. num. 12. Barbof. in collect. DD. lib. 1. tit. 20. cap. 6. num. 3. tamen non esset extra Irregularitatem is, qui pollicem, & indicem haberet, cæteris autem tribus digitis careret, cum maxima, & conspicua, neque occultabilis inde turpitudine emanaret: sinistra etiam, & dextra manus impar utilitas est, ut omnes norunt; major enim ex parte dextræ, quam sinistra, & eadem imparitas observatur in digitis, quia major necessitas digitorum dextræ quam sinistra; unde si ulla difficultas intervenire debeat in promovendo, certe major erit in eo, qui manu dextra, ejusque digitis, quam in eo, qui sinistra ejusque digitis sit læsus. Majol. ibid. num. 11.

Pedes contorti, qui ad intra, vel ad extra nota- 4 biliter respiciunt, notabilem deformitatem secum habent, & in libero incessu impedimentum, quod ij. Fff tamen

S V M M A R I V M.

- 1 Brachia curta, ac insigniter brevia an sint sufficiens causa Irregularitatis.
- 2 Brachia attracta, & contorta quando nam faciant locum Irregularitatis.
- 3 Manuum, & digitorum vitia, qualia, & quando Irregularitatis causam præbeant.
- 4 Pedum, eorumque digitorum vitia, qualia, & quando censentur præbere causam Irregularitatis.

tamen majus est si ad intra, quam si ad extra contorqueantur, unde videam, an sufficientem causam Irregularitatis habeant. Pedum autem digiti licet aliquam apprehensionem habeant ad similitudinem digitorum manuum, tamen non ad hoc sunt principaliter à natura fabricati, sed tantum ad corporis stantis stabilitatem, ut facilius homo erectus stare posset; quamobrem in eorum deperditione totali, circumscripta aliqui depravatione motus progressivi, sola deformitas emergit, quæ tamen aptis calcamentis occultari potest, unde ea de re non præbet eorum privato sufficientem Irregularitatis causam Navarr. lib. 5. Conf. 67. per totum.

S V M M A R I V M.

- 1 Crura quæ partes sint, & quænam vitia eorum faciant hominem irregularem.
- 2 Claudicationis multe species, & quænam majorem, aut minorem turpitudinem, & majus, aut minus incommodum afferant.
- 3 Vari, Valgi, seu Vatii, Blasii, & Rhebi qui & quænam eorum sint irregulares.
- 4 Claudis, qui non indigent baculo ad ambulandum, non sunt irregulares.

De Crurum, & Ambulationis vitii.

Q V Æ S T I O XVIII.

1 Crura non secus ac brachia morbis quibusdam tentantur, quorum culpa à naturali actione impediuntur, & naturalem formositatem amittant; si attracta sint, si obtorta, si tumida, si paralytica, si sensum amiserint, si contabescant, motum corporis vel debilitant, vel depravant, vel auferunt. Dicuntur autem Crura partes à coxa infra, Tibiamque continent, & Pedem Gal. lib. de Ineq. Intemp. factaque à Natura sunt, ut totum corpus stantibus, aut ambulantis nobis sustineant. idem Gal. lib. 2. de mot. Muscul. cap. 7.

Huc pertinent claudicationis species pene omnes; sed antequam ulterius progrediamur, admonendum pro Medicis est, claudicationis vocem apud Hippocratem accipi pro simplici debilitate, ac depravatione motus cujuscumque partis, ita ut ex aliquorum nervorum, tendinum, aut capitum musculorum abscissione quis eo modo claudum fieri dicatur, etiam si non claudicet. sed hæc per transenam dicta sunt.

2 Species autem claudicandi evariant pro ipsorum crurum, aut partium ea componentium depravatione: distorquentur enim interdum vel ad intra, vel ad extra, vel ad anteriora, vel ad posteriora, licet hoc rarius eveniat. contrahuntur etiam, & relaxantur ex convulsione, aut paralyti, & ex abscissione nervorum, tendinum, & capitum musculorum, & ex horum uniuscujusque vitio vel mobilia redduntur, vel depravantur, vel debilitantur respectu motus, & aliquando etiam respectu motus & sensus simul. Quin & ex contabescencia interdum eorum claudicatio contingit, ita enim testatur Hipp. lib. 6. Aphor. 50. licet addat claudicare ægros ex eo, quod coxa excidat, unde crus contabescit. fit etiam claudicatio ex luxatione quorundam ossium, præcipue vero ex luxatione ad Mal-

leolum contingente quomodocumque fiat, nempe vel in anteriorem, vel in posteriorem partem, unde species claudicationis multiplicentur; neque dubium est, omnem claudicationem habere secum insignem deformitatem, & impedimentum quoad ulum membrorum, sed tam deformitatem quam impedimentum non esse in singulis ejusdem gravitatis; unde patere debet, quod Irregularitatis causa major ubi major deformitas, & majus impedimentum. Vtriusque certa cruris, aut utriusque pedis claudicatio majorem absque dubio deformitatem, & majus habet impedimentum. Item major deformitas, & majus impedimentum, si claudicatio totius cruris vitio fiat, quam si vitio partis, & major etiam deformitas, & majus impedimentum si fiat vitio partis utilioris, quam si vitio minus utilius. Qui fulchris gressus sustentare cogitur turpis claudicat, quam qui iis non eget; & qui crurum tantummodo virtute qualitercumque ambulare potest, minus turpiter claudicat, quam qui inter ambulandum superiorum etiam partium auxilium requirit; & qui corpus ambulans distorquet, aut prope terram illud inclinare cogitur magis indecenter claudicat, quam qui nihil eorum facit, & sic de reliquis. Sed inter Claudos connumerantur maxime Vari, & Valgi, seu Vatii, ac Rhebi, & Blasii, de quorum nominum acceptione vix constare inter Auctores jam admonui lib. 2. Tit. 3. quæst. 12. ubi de hac materia prolixius egi. illud certum est, Vari nomen pro qualibet depravatione accipi, ut inibi probavi, hoc est quomodocumque Crus ad aliquam partem inclinet, unde idem importat Varum; ac obtortum. idem etiam de Valgo, & ratio invenit, sed apud Hippocratem, & Galenum eo loci adductos Vari sunt ii, quibus crura, vel pedes extra sunt obtorti, Vari ii, quibus intro; ac Rhebos Galenus eos vocavit, qui à natura curvis sunt cruribus, Blasios eos, qui eorumdem imbecillitate laborant; ita ut stare, aut firmiter ambulare; non possint. Sed omisso jam de iis, quæ alias loco citato recensui sermonem habere, ad Irregularitatem redeo, ac dico, quod si Blasios excipiamus (in quibus certe minor reperitur deformitas, licet par aut majus esse possit ambulationis incommodum), reliquos neque tantam deformitatem præferre, neque tale incommodum ambulationis perpeti, ut ex alterutrius, vel utriusque culpa homines Irregularitate obstringi debeant; unde recte, ut credo, saltem secundum plurimum à Navarra in Manual. fac. cap. 27. num. 199. & à Silvestr. in summ. 21. Corpore vitiatum num. 5: determinatum est, Claudos, qui non indigent baculo ad ambulandum, non esse irregulares; licet hoc veritatem habeat, si ad ipsam tantum ambulationem respiciamus, nam alias potest tanta esse crurum turpitudine, ut ex hac sola causa quis irregularis sit judicandus.

In reliquis porro Claudorum speciebus insigniorem deformitatem, ac magis notabile incommodum in usu membrorum reperiri, & utramque causam ejus ponderis esse dixerim, ut non absque omni dubio tales ab Irregularitate esse immunes sit pronuntiandum, licet univèrsaliter cum talibus facile dispensari Canonistæ aducent, illud certum est tantopere differre varos, cæterosque supra nominatos à cæteris claudis, ut non nisi injuria fiat eos pari passu cum vere claudis quoad Irregularitatem incedere, nam hoc quoque ut Majol. tradit. lib. 1. cap. 18. sub num. 3. non nisi dispensatos promoveri volunt

Canon-

Canonistæ, cum tamen, ut dixi, minori deformitatis, & minori multo, imo nullo interdum incommodo ambulandi teneantur, quam vere Claudis. Excipio tamen ab hoc censu eos, qui pedes obtortos ad intra habent, & multo magis quam eos, qui eosdem habent obtortos ad extra, nam & majorem deformitatem præferunt, & majori incommodo inter ambulandum detinentur; itaque hi si qui alii ex iis, qui turpiter claudicant, irregulares forte judicandi à Canonistis non secus ac ii, quibus omnes Pedum digiti deficerent.

S V M M A R I V M.

- 1 Membra principalia superfluentia habent secum maximam deformitatem, & monstruositatem.
- 2 Quædam superflua, ac monstruosa, si cæleri possint, an faciant irregularem.
- 3 Insignis monstruositas corporis etiam non apparent, Animi monstruositatem denotat.
- 4 Sedigiti quando videantur irregulares.

De Membris superfluentibus.

Q V Æ S T I O XIX.

1 Generalis regula tradi potest in primis, membra principalia superfluentia habere secum maximam turpitudinem, immo monstruositatem, ac talem, ut homines nequaquam dispensari ab Irregularitate possint, etiam si talis monstruositas nullum illis impedimentum afferret: nam ipsa per se monstruositas sufficientissima causa Irregularitatis est. Abb. in c. 2. de Cler. Ægrot. ex qua Majol. lib. 1. cap. 13. num. 1.

2 Dubitari tantummodo poterat de quibusdam in corpore superfluentibus: & maxime de iis, quæ contegi vestimentis possunt: nascuntur enim homines quidam, qui excrecentias exempli gratia, carneas insignes habent, ut quidam cui ab humeris caro quædam versus Lumbos, & Renes propendebat in modum Capucii quorundam Religiosorum, quæ tamen illi nullo erat impedimento; jam & alios veluti tertium brachium habuisse constat certis adnatum, quod licet nulli usui esset, nullum tamen impedimentum afferebat, & vestimentis cæleri facile poterat, ita ut nullam monstruositatem, ac ne deformitatem quidem præ se ferret.

Relinquo alios (nam non solum monstra sunt, sed monstra insignia, & horribilia) quibus vel aliud caput in medio ventre adnatum erat, vel quibus à ventre aliud corpus exibat, veluti si caput intra il- luis integri hominis ventrem occultasset, de his enim nullum intervenire potest dubium. sed de superioribus & de aliis quibusdam non omne dubium diluam est; nam in aliquibus cernuntur à Natura notabiles ac magnæ excrecentiæ ab una, aut alia parte propendentes, (quæ etiam interdum à morbo fieri possunt) ut ea, de qua superius, quæ si oculis aspicientium paterent, monstruosa certe non tantum deformia judicaretur. Iam puerum vidit amicus Medicus cui vulva in coxa erat enata pilis obrita, & labellis conformata, sed quibus diductis nil aliud, quam subjecta caro appareret. Gemino Pene aliquando visum hominem dotatum testantur auctores, ac testes ex propria inspectione. Sed alias insuper additiones, & excrecentias monstruosas

adnotare interdum licebit, quæ quia oculis aspicientium non patent, & vestibus conteguntur dubium faciunt, an hominem Irregularitati subiciant, nec ne; omittenda autem videntur quædam aliæ monstruositates, quæ in infectione quidem carnis, & cutis consistunt; sed insignes sunt, licet vestibus occultari possint: nam ego hominem curavi, qui thoracem univèrsam cum brachiis usque ad Metacarpum squamis nigricantibus, ac duris instar piscium coopertum habebat, alios alii viderunt, qui in diversis corporis partibus quasdam eminentias obtinebant, pilis durissimis obritas, quæ porcinam cutem imitabantur. Leporina pelle quidam contectus secundum spatulas videbatur. alii aliter totam pellem commaculatam, ac colore alieno dotatam habuerunt non sine insigni, ac maxima deformitate, quæ quidem omnia monstruositatem sapiunt, & consideratione dignæ apprime sunt, non tam ex turpitudinis respectu, quam quia plerumque animum non bene dispositum ostendant; homines enim malorum morum, & animi inhumani portendunt, cum raro observetur insignis monstruositas in corpore, 3 etiam si occultari possit, absque concomitantia monstruositatis Animi. In his tamen omnibus videtur Episcopi arbitrium desiderari; mihi satis sit de iis, aliquam fecisse mentionem, ne defecisse, in ea re alicui videret.

Sedigiti licet inter monstra connumerandi non 4 sint, non modicam tamen deformitatem præferunt, licet non omnes eandem: nam ubi superfluus digitus suum locum servet, nempe ordinem aliorum digitorum deformitas minor videtur, ubi vero unus digitus videatur in duos bipartitus major deformitas est, sed multo major ubi sextus digitus ordinem non servet, sed extra ordinem promineat, immo præter majorem deformitatem potest etiam aliquod incommodum afferre in libero manus usu, unde non tam univèrsaliter forte pronuntiandum, ut Majolus facit loco nuper adducto, sedigitos non habere ullam Irregularitatis causam, quia aliquando & deformitatem sufficientem, & sufficiens incommodum habere possunt ad Irregularitatem inducendam.

S V M M A R I V M.

- 1 Arthritis nomen generale est, comprehendens omnem articulum dolorem.
- 2 Dolores omnes articulorum maxime molesti sunt, licet unus sit acutior, & molestior altero.
- 3 Podagra, & Obriagra faciunt hominem irregularem, sic forte & alii dolores articulares.
- 4 Dolores articulorum, qui primo pedes invadunt, de facili revertuntur, qui vero primo impetu plures corporis partes molestant, non tam de facili reversionem faciunt.

De Podagra, & Arthritis.

Q V Æ S T I O XX.

1 Pecularem considerationem habuerunt Canonistæ de Podagra, sub quo tamen nomine etiam Chiragram, omnemque articularis doloris speciem comprehendendi volunt: vere tamen apud Medicos Arthritis generale nomen est comprehendens sub se quemcumque Articulorum dolorem; nam & ij. Pff 2 ipsa

ipſa Podagra, & Chiragra, & Sciatica, & dolor coxendicis, & cæteri omnes dolores, qui Articulos infeſtant, Arthritici nominantur, ſeu articulares; ſed quæſcunque plures articuli uno eodemque tempore dolent, vel omnes ſimul, tunc huiusmodi affectionem Arthriticam vocamus, cæterarum vero partium dolores alio ac proprio nomine inſignimus ex parte ipſa dolente detracto, ſic ergo ubi Pedum articuli dolent, Podagram nominamus, ſi articuli Manus Chiragram, ſi os Sciæ Iſchiadem, ac Sciaticum dolorem, ſi Genu, gonagram, ſic & in quocunque alio articulo dolor ſeſe prodatur, nomen ab ipſa parte deſumit, vel deſumere poteſt, & ſic in Maxilla articulis, in articulis cervicis, Dorſi, Cubiti, Humeri dolentibus ſuum nomen licet formare, nam alias apud veteres huiusmodi nomina non reperiuntur. Tenontegram dixit Col. Aurel. lib. 5. Tard. paſſ. cap. 2. vocari, ſi dolor majores tenuerit nervos. Sed nominum curioſitate relicta, ad id quod magis ad rem noſtram facit, accedamus.

Dolores omnes articularum notabili anguſtia ægrotantes premunt, non quod in uno homine mitiores non ſint, quam in alio, ſed quantumcunque mites ſint, moleſtiſſimi ſunt; certum tamen eſt ſecundum aliquos dolorem coxendicum acutiorem, ac moleſtiorem eſſe, ſecundum alios vero Podagricum, indifferenter tamen omnis dolor articularis tam acerbus eſt, ut non abſque ratione dixerit Aretæus lib. 2. Diuturn. Morb. cap. 12. Ac iſtorum (de oſibus loquitur) magnum eſt miraculum, non dolent quidem vel minimum, etiam ſi quis ſecet, aut collidat; ac ſi quis ab ipſis doleat, nihil aliud eſt eis ad dolorem citandum potentius: non ferramenta adſtringentia, non vincula, non vulnerans gladius, non exurens ignis.

Hæc igitur cum ita ſe habeant, & Canonice ex Podagra culpa dicant hominem fieri irregularem, Majol. lib. 2. cap. 21. num. 1. videtur dicendum, idem habere locum in quocunque alio articulari dolore, dummodo ad eam acerbiteriam deveniat, de qua dictum eſt; in omnibus enim concurrunt multæ conditiones, quarum cauſa Irregularitas inducitur, nam & turpitudine intervenit ob tumores, ac diſtortiones membrorum, ac impedimentum in libero corporis uſu, & curationis difficultas, ne dicam impoſſibilitas, ut proſequitur Majol. ubi ſup. adde quod ut plurimum parit ſcandalum huiusmodi morbus, quia hominem denotat maxime intemperantem, & licet verum ſit illud, quod Majolus notat, nempe quod hoc non ſemper verum, quia hic morbus eſt hæreditarius, tamen hoc non tollit, quin univerſalis hominum conceptus hoc ſibi perſuadeat, unde non ob hoc quod ſit morbus hæreditarius ceſſat idcirco ſcandalum.

Verumenimvero illud ſigillatim adnotare non deſiſſimam, cum aliquod momenti habere videatur, nimirum quod peculiare dolores articularum, & præcipue Podagricus, ſi ſoli ſint, vel faciliſſi, ſi huiusmodi dolores incipiunt infeſtare unum tantummodo articulum, ac præcipue Pedum, tunc facillime revertuntur, ac corporis ſucceſſu communicantur cæteris quibuſcunque articulis, & ſic facile Podagra evadit Arthritim; quod ſi à principio, nempe in primo inſultu morbi, plures articuli dolent, tunc dolores difficulter reverſionem faciunt, nec de facili recurrunt. Arthritim igitur niſi alii dolores articulares illam præceſſerint, hominem liberum relinquit; contra vero Podagra, Chiragra,

Sciatica, & id genus alii facillime recurrunt, & in Arthritim eandem degenerant; unde videtur dicendum, quod magis Irregularitatis obnoxii ſint qui Podagram, Chiragram, Sciaticam, aut coxendicum dolorem, vel aliud quæſcunque articulare patiuntur, quam qui à Principio Arthritici ſunt, abſque eo quod aliquem ex illis prænominitis paſſi fuerint, ſed optabit forte Lector ſcire, quæ ex cauſa Arthritim non facile revertatur, contra vero alii dolores articulares tam prompte revertantur: ac breviter dico arthritidem fieri abſque multa imbecillitate articularum, & à multa copia humorum, alios dolores contra fieri ex multa articularum imbecillitate, & à pauca materia humoralis, quod ſatis offendit, quod ut Notavit Lud. Mercat. lib. 4. de inter. morbor. curat. cap. 18. Arthritim incipiat cum tumore, & deſinat in dolorem, in cæteris articularibus affectionibus partes primo dolere incipiunt, poſtmodum intumeſcunt, quemadmodum ergo hi dolores ob articulare vel naturalem, vel accidentalem imbecillitatem, atque illam quidem tam prompte revertuntur, ſic ob contrariam cauſam Arthritici dolores non tam prompte recurrunt. Adde quod faciliſſime poſſunt plures articuli evincere, & diſcutere materiam undecunque illis tranſmiſſam, quam poſſit unicuique articulo ſtante maxime ejuſ multa imbecillitate, quæ quidem plerumque eſt inſuperabilis, quia à natura eſt, cum contra in Arthritide articularum imbecillitas accidentalis ſit, & idcirco ſuperabilis, de ea autem Arthritide hæc omnino pronuntianda, quæ non ſubſequitur ad aliquos particulares dolores articulares, ut jam dixi.

S V M M A R I V M.

1. Cunctæ infectiones plerumque ſecum habent conjunctam ſeditatem, ac ſunt contagioſæ.
2. Leproſus repellitur à promotione, & ab adminiſtratione in ſacris.
3. Lepra nunquam tam levis eſſe poteſt, quin hominem irregularem non faciat.
4. Triplex infectionis lepræ diſtinctio.
5. Vera lepra duaſpecies.
6. Scabiei triplex diſpoſitio, & quænam irregularem hominem faciat.
7. Non eſt poſſibile aliquem eſſe perfecte leproſum, niſi facies deſcedat.
8. Lepre vera ſigna.
9. Experiencia ad diſtinctendam lepram curabilem, vel incurabilem eſſe.
10. Ad inducendam Irregularitatem ſatis eſt ſcabies ferina, quæ præcedit lepram.

De ſcabie, & Lepra, cæterisque cutis infectionibus.

Q V Æ S T I O XXI.

Cutaneæ infectiones habent interdum ſecum conjunctam tantam ſeditatem præterquam quod plerumque contagioſa ſunt, ut promptiſſimam cauſam præbeant Irregularitati; unde antiquitus etiam à Lege vereri homines ob hæc vitia repellentur à miniſtratione in templo, immo & à templi ingreſſu, ut habetur Levit. cap. 11. & ſeq. Tria vero potiſſimum vitia in ſacra pagina repèriuntur

riuntur commemorata ex his, nempe impetigo, ſcabies, & lepra ibi, ſi jugem ſcabiem, vel impetiginem habens, ſi leproſus fuerit. In nova autem lege leproſus, non admittitur ad ſacros ordines D. Thom. 1. 3. quæſt. 82. art. 12. Navarr. cap. 27. nu. 202. verſ. 13. dico heram. Sylveſt. num. Corpore vitatus. nu. 5. Majol. lib. 2. cap. 18. num. 1. Et quia ſcabies, & aliæ quædam cutaneæ infectiones quam proxime accedunt ad Lepre naturam, etiam de ſcabie, & ſimilibus infectionibus dubitare contingit, an Irregularitatem inducant, nec ne? Non eſt autem dubium has omnes infectiones habere ſecum inſignem turpitudinem, quæ per ſe ſufficiens cauſa videtur Irregularitatis: idcirco Hippoc. lib. de affect. ſcit. 2. num. 35. eas magis turpitudines corporis dicebat eſſe, quam morbos, ex eo quia cutim deſcedant, ſed ad internis morbis hominem liberant; cui ſententiæ adharebat D. Auguſtinus, ex quo Amat. Luſitan. ſed Canonice non ſolum conſiderantur in his infectionibus turpitudinem, & etiam contagium, & morbum uſum liberum corporis impediendum, cum palam ſit, eas ubi notabiles fuerint, non tantum externas partes contaminatas offendere, ſed etiam internas ob infectionem inſignem totius maſſæ ſanguinis. Verum quia harum infectionum plures ſunt ſpecies, quæ gravitate, ſeditate, contagio, & impedimento liberi uſus corporis inter ſe differunt, certe operæ pretium eſt eas diſtinguere, ut ſciamus quænam ejuſ gravitatis ſint, ut Irregularitati locum faciant, quæ vero non. De Lepra igitur primo dicam, quod etiam ſi non unius ſpeciei ſit, tamen nunquam tam levis morbus eſt, quin & turpitudine, & contagio, & ineurabilitate, & incommodo ſanitatatis non ſit adeo inſignis, ut ea infectus ab Irregularitate dici poſſit immunis, ſed diſtinguendum inter lepram, & quandam ſcabiei ſpeciem, quæ viſu ipſo, & paribus ſignis ad Lepram accedit, ſigna ergo veræ lepræ neceſſario tradenda videntur, dicendumque ſigna adducta in ſacris incipientis lepræ convenire maxime veræ lepræ, ex cujus cauſa homines arceantur ab ingreſſu templi, & à convicte cæteris in civitate, non convenire autem falſis quibuſdam lepris, aliſque ſimilibus infectionibus, quas tamen abuſive lepras vocamus, & quas ſacra ſcriptura forte lepras mundiciſſimas appellat.

Quoad ſigna igitur veræ lepræ, & proxime ejuſ, quæ confirmata dicitur, ſciendum quædam præcedere, ipſam lepram, quædam vero ipſam jam confirmatam concomitari, de quibus omnibus diligentiffime egit Valleſ. de ſac. Philoſoph. cap. 14. percurrens prædictum c. 13. Levitic. ubi etiam exquisitam, & exactam tradidit nominum declarationem, licet nonnihil differat ab iis, quæ Autores alii tradidere nec mirum, cum omnes inter ſe multum differunt in tradenda prædicta vera nominum ſignificatione. Nos ut breviter, & ad Canonistarum negotium tantum facientia afferamus, dicimus, has cutis infectiones triplici gradu diſtingui, nempe ſimplici cutis deſedatione, exaſperatione, & ulceratione. ſimplex deſedatio Cutis Macula dicitur, Græcis Leuce, & Alphi, Latinis Morphea, & Vitiligio; eſtque in duplici differentia alba nempe, & nigra. Exaſperatio alius autem penetrat, & quando in ea aſperitatem cauſat, & dicitur Græcis Pſora, Latinis Scabies, quæ ſimili duplex eſt alba, & nigra præterquam quod differt etiam ſecundum majorem, & minorem magnitudinem ſquammarum; nam cum majores ſquammas producit Græcis

dicitur Lepra, ſiquidem nigra ſit, ſi vero ſit alba dicitur Lichen, ſeu Impetigo, & Lepra volatilis. Ulcerationes ſi jam autem penetraverint, & carnem ſimul, & venas, veram lepram generant, quæ Elephas Græcis dicitur, nam alias lepra Græcorum Pſora dicta eſt ipſa ſcabies. Amat. Luſit. Cur. Medicin. ſent. 2. Cur. 32. in ſchol. qui tamen veram lepram ab Arabibus deſcriptam, & de qua in lege veteri tor præcepta emanant, elephantiaſin Græcorum eſſe voluit, quod & aliis quibuſdam Medicis probatur. Plures tamen lepræ nomine ſimpliciter prolato multo majorem morbum ſignificari volunt quam ſcabies ſit, quod & apud omnes communiter ſine difficultate tranſit. immo neque ipſam ſcabiem malignam, & ferinæ nomine inſignitam lepræ nomine inſignitam eſſe volunt, ſed veræ lepræ duas conſtituunt ſpecies, unam quæ nudo lepræ nomine appellatur, alteram, quæ & Leonina dicitur, & elephantiaſin proprie vocant. ita Gordon. & Valleſ. ubi ſupra, qui tamen hanc differentiam tradunt, quod Leonina eſt illa lepra, quæ ſit à Cholera aduſta, & cur ſic dicitur docet Avic. 3. A. trakt. 3. cap. 1. Elephantiaſis quæ ſit à Melancholia, & eam, quæ ſit à Phlegmate dicit Gordon. vocari lepram, quæ à ſanguine Alopeciam, ſciamus tamen ex communi Medicorum conſenſu Alopeciam fieri à quocunque humore, & præcipue à melancholia, & eſſe peculiarem quandam lepræ ſpeciem Capiti familiarem. Prima autem illa ſpecies ab Arabibus Albaras nigra nominatur, & morbus eſt multo gravior, quam Pſora, & ſcabies, ut ex ſignis ab Avic. lib. 4. f. 3. trakt. 3. cap. 1. aliſque Arabibus allatis elicere poſſumus, & hanc à Celſo vocari impetiginem dicit Mercur. lib. 2. de morbo. curat. cap. 5.

Sed quomodocunque ſeſe res habeat, cum Canonice in lepra plura conſiderent, nempe turpitudinem, incurabilitatem, contagium, & impedimentum liberi uſus corporis, quorum omnium reſpectu leproſos irregulares eſſe volunt, non quælibet ſcabies, nec forte quælibet lepra facit hominem irregularem, cum non indifferenter in quocunque huiusmodi morbo ſit par turpitudine, neque par incurabilitas, neque æqualis vis contagii, neque item par uſus liberi corporis impedimentum.

In his ergo conſiderari poſſunt plures gradus, pro majori aut minori eorum gravitate, & primo in ſcabie, ſi ſola mutatio coloris cutis fiat cum aliqua rubedine, & pruritu levis ſcabies & Prurigo dicitur, quæ quali præludium eſt incipientis ſcabiei, licet antequam ulterius procedat, aptis remediis interdum ſanetur. Jam vero ſi cutis magis deſcedatur, & pruritus crefcat, & cruſtæ, aut puſtule appareant, tum ſcabies dicitur, crefcente vero jam pruritu, ita ut incendium afferat, puſtuliſque aut cruſtis multiplicatis, jam ferina ſcabies eſt, & ad lepræ naturam accedit, immo ipſa lepra Græcorum eſt. Cum igitur in prima ſpecie omnia ſint debilia, nam modica apparet turpitudine, neque magnopere contagium imminet, & facilis ſit curatio, neque ullum adit corporis impedimentum non videtur in illa poſſe habere locum Irregularitas, majus dubium excitari poſſet in ſecunda ſpecie; in tertia autem res clara eſt. illud vero adnotandum eas infectiones magis accedere ad lepræ naturam, quæ caput, & faciem, aut per ſe ſolas, aut cum reliquis corporis membris deſcedant, majus enim vitium ſubefſe in maſſa ſanguinis ambigitur, ubi elatiores partes inſiciant, quam ubi inſiciant humiliores, tenuiores enim

sanguine illa, quam hæ nutriuntur; quamobrem auctores fere omnes in hoc conveniunt, quod non sit possibile aliquem esse perfecte leprosum, nisi facies defædatur, quam quæstionem proponit, & resolvit Gordonius in lib. part. 1. c. 3. 1. *verf. Ista materia; immo possibile e contra est corpus totum esse liberum, & caput, & faciem lepra infici, ut in Alopecia videmus. Cæterum quia totus cardo hujus rei vertitur in dignoscenda vera lepra, cum de hac plura veniant determinanda, quam de cæteris cutaneis infectionibus, jam veræ lepræ signa potiora tradenda, & nonnullæ experientie ad illam internoscendam in medium afferendæ ad probandum an confirmata sit, nec ne. Signa ergo veræ lepræ sunt imprimis Pilorum extenuatio, & minoratio, superciliorum depilatio, eorumque crassities, oculorum rotunditas, narium ad extra dilatatio, ad intra coarctatio cum spirandi difficultate, verborum prolatio per nares, Aures subtilatæ, faciei color lucidus ad fuscum vergens. addunt prædictis Avic. 3. 4. 1. 1. c. 3. cap. 2. Vallesc. lib. 7. *Glyphitis* cap. 21. & Cordon. loc. cit. musculorum consumptionem, ac maxime illius, qui est inter pollicem, & indicem. Egri Melancholici fiunt, & moribus fiunt deterioribus, somnisque melancholici frequenter turbantur. Præter hæc in aliquibus Narium cartilago corroditur, ejus nempe, quæ mediat nares, Pedes manusque scissuris scætant, vox rauca evadit, & catulina, & in summa instar omnium est corruptio ipsius formæ, ita ut non humana, sed ferina appareat, & accedere videatur ad formam Satyri, ut Gal. dicebat, lib. de causis morbor. cap. 7. quam immutationem, & corruptionem formæ hujusmodi in leproso tanti facit Gordonius loco allegato, ut non credat, lepram dici posse confirmatam, nisi ad hunc usque terminum sit progressa; unde existimat ea de causa non posse leprosum ab hominum consortio sequestrari, nisi in eo forma modo prædicto sit immutata, quam autem ratione fiat ut in leprosis forma ita depravetur, docet Galen. loco proximo allegato, Sed Baverius de Baveris Conf. 22. ex Guilielm. de Placentia signum ponet confirmatæ lepræ, quod pro infallibili habet, & est apparatus pustularum, & scissurarum in radice lingue diversorum colorum, nam sunt albæ, rubræ, & citrinæ. Communiora sunt quæ sequuntur Ulcerationes altiores carnem erodentes, incendum, & prurigo corpus colliquans, sudor fetidus ex corpore emanans, Anhelitus item fetidus, labia crassa; ex cute squamæ omittuntur ad instar squammarum piscium; quin etiam in ipsa cute maculæ apparent albæ ipsa cute humiliores, caro vero sub cute existens suum naturalem colorem amittit, & albidior apparet, quod signum est lepram occupasse etiam ipsas carnes; quod ut magis exploratum habeas Avicen. loco cit. jubet acu pungi carnem; si enim sanguis ex punctura exeat, lepra non est confirmata, sed si non exeat sanguis jam lepra confirmata est, & incurabilis. Aliud insuper signum magnæ considerationis assertur ex adnascencia pilorum, eorumque colore albicante; nam si ulcera ab ipsa lepra facta cicatricibus obducantur, ac post modum eo in loco pili albicantes renascantur, confirmatæ ac verissimæ Lepræ signum est, ab ipsa quoque sacra pagina una cum nonnullis aliis ex supra dictis allatum. Illud autem notat Vallesc. de sacri. *Philos. loc. cit.* quod pili renascentes in reliquis partibus lepra occupatis mutantur in albos, in capite vero & barba in flaccos & tenues, addo etiam admodum raros esse, ut in quibusdam notavi.*

Quod ad experientias attinet jam unam attulimus de punctura carnis cum acu, ex qua sanguine exeunte Lepra curabilis est, exeunte vero lacteo quodam humore pro sanguine, confirmata est, & curationem non admittit, ut docet Paul. lib. 4. *suas Med. cap. 5.* ex quo Vallesc. ubi proxime. Præterea desumitur alia experientia ex sensus stupiditate hoc modo, tenuissimam acum in leprosi corpus infingunt, quam puncturam si non sentiat, deplorata res est, consumatissima enim & omnino incurabilis lepra est. Ex qualitate etiam sanguinis desumitur experientia hoc modo. Sanguis à leproso extractus orificio latiore in aqua lavatur, ac per pannum transcolatur, & si in fundo reperiantur grana ad modum arenæ Lepra vera est. Ex avulsionem pilorum aliam experientiam desumi volunt Auctores, avulsis enim capitis capillis si cum his etiam aliquod cutis, seu carnis frustulum avellitur, acta jam res est. Aliam ab ipso sanguine desumptam experientiam proponunt nonnulli hoc modo. Sanguinem leprosi ponunt in aqua clarissima, & si supernat, lepra confirmata est.

Denique alia experientia assertur à nonnullis, 10 quam alias attuli lib. 3. *bar. quæst. tit. 3. quæst. 5.* ex Levin. Lem. de oculi. *nat. mirac. c. 5. in f. quæ est hujusmodi.* urina leprosi in matula colligitur, in eamque ut si Plumbi pulverem conjiciat, si enim supernat, signum certum est de ploratæ ac incurabilis lepræ. Sed hæc forte pro Canonistis superflua à quoquam judicabuntur, quia si ad inducendam Irregularitatem sufficiens ipsa scabies est, ubi firma sit, & longo tempore duraverit, multo magis Irregularitatem inducet quæcunque Lepra etiam incipiens, & non confirmata. Verumenimvero hæc exacta lepræ confirmatæ dignotio per commemorata signa ad alia inservire potest, ut maxime ubi agatur de ejectione leprosi à cætu hominum, vel de Theri separatione, & hujusmodi, in quibus hæc exacta lepræ confirmatæ notitia requiritur.

S V M M A R I V M.

- 1 Morbus Gallicus non ex una tantum causa Irregularitatem inducit.
- 2 Morbi Gallici duæ species ex Majolo.
- 3 Gallici Morbi triplex species, & in quam locum habeat Irregularitas.
- 4 Morbus Gallicus, qui nullam exterius de se significationem præbet, an Irregularitatem inducat.
- 5 Irregularitas in morbo Gallico inducitur ex eis, quæ exterius apparent, & quænam ea sint.
- 6 Exterius apparentia in morbo Gallico ex diverso capite inducere debet Irregularitatem.
- 7 Morbus Gallicus si celari facile possit, an inducere debeat Irregularitatem.
- 8 Penis ex morbo Gallico deperdit an irregularem hominem faciat.
- 9 Raucedo perpetua ex morbo Gallico contracta an inducat Irregularitatem.

De Morbo Gallico.

Q V Æ S T I O XXII.

MORBUS Gallicus plurimum habet cum se non unam, sed multiplicem causam Irregularitatis, nempe quandoque, impedimentum liberi usus

cor-

corporis, turpitudinem, contagium, & difficultatem curationis, & scandalum. sed quia is morbus habet multos gradus, neque videntur, posse habere locum in uno, quæ habeat locum in alio, idcirco non promiscue quæ dicuntur intelligenda de quocunque morbo Gallico, sed de eo tantum, qui notabilem de se significationem præbere potest, unde neque si quis levi Gonorrhæa laboraverit, aut ulcuscula, quæ cito curari possint, in pudendis passus fuerit, aut de presenti pariat, aut levi bubone, ac de facili curabili afficiatur, dummodo scandalum abfit, illico Irregularitati erit subjiciendus.

Majolus, qui proficitur, se ante omnes alios de morbo Gallico in ordine ad Irregularitatem tractasse, ut dicit lib. 2. cap. 14. *num. 1.* duas morbi Gallici species constituit, & utramque quidem gravissimam; nam unam dicit ex sententia Medicorum esse horribilem valde propter ulcera per corpus diffusa, & propter extrinsecam deformitatem adjectis acerbis doloribus; alteram vero habere majorem cruciatum internum cum articulorum inflatione, membrorum ac nervorum attractione, decoloratione vultus, & cutis sine ullo extrinsecò ulcere, & utramque magnam similitudinem cum Lepra habere asseverat. Nos Medici aliter hanc rem enucleavimus, dicendo, Morbum Gallicum duplicis speciei esse (sequendo ejusdem Majoli distinctionem) & unum potius per extrinsecam signa alium per intrinsecam magis innotescere. sed multo magis ad rem nostram faciet si distinctius procedamus, nam si morbum Gallicum in species distinguere velimus prout ad negotium medicum magis pertinere videtur, aliter est distinguendum. Sed dicamus nunc, quod respectu Irregularitatis inducendæ per morbum Gallicum, tripliciter veniat, dividendus, nempe in illum, qui levis ac mitis est, solis parvis ulcusculis circa pendenda, vel brevi Gonorrhæa, aut levi bubone comitatus nullis aliis apparentibus symptomatibus nisi forte aliquali capillorum defluvio, & hæc erit prima species. Secunda species gravior est, quæ contumaci Gonorrhæa, & ulceribus pudendorum malignioribus, & bubonibus insignioribus, dehinc etiam fœdis maculis, ac pustulis in toto corpore, & aliquando etiam in capite, & facie est insignis. Tertia denique species quæ gravissima est, apostematibus, & contumacibus, malignisque ulceribus, & artuum doloribus, noctu maxime assigentibus, & abscessibus, ac carie ipsorum ossium, & Narium ulceribus cacoëthiis, & totali depilatione etiam ciliorum, & superciliorum est notabilis.

Ex hac igitur divisione patet manifeste in prima hujus morbi specie minimam militare Irregularitatis causam; si scandalum excipias, majorem in secunda: in tertia vero causas & numero plures, & efficaciores, & gravioris militare, cum in ea concurrant omnia impedimenta, quæ ex morbis Irregularitatem inducentibus provenire possunt, nempe Morbi difficultatem, contagium, deformitatem, sanitatis summum impedimentum, & scandalum, ut jam dixi.

Ceterum quia aliquando morbus Gallicus nullam de se exterius significationem præbet, sola autem doloris artuum acerbitate, & cruciatu malignitate se prodit, videndum à Canonistis est de hoc peculiariter; cessant enim in eo plures ex illis causis, quas in cæteris concurrere dicebamus, præcipue vero deformitas, & scandalum, cum nulla

tenus per exteriora signa de se significationem præbeat, neque celebrationi impedimento sit, quia plerumque hujusmodi dolores noctu affligunt, interdiu vero hominem liberum, aut pene liberum relinquant. Nisi ergo sola infectio Gallica per se sufficiens sit ad Irregularitatem inducendam, determinandum à Canonistis est, utrum tales irregulares sint, necne.

Quod superest, certum est, Irregularitatem in hoc morbo induci ex eis, quæ oculis subjiciuntur hæc enim scandalum pariunt & deformitatem afferunt, unde videndum; ex quibus nam signis homines morbo Gallico affici cognoscamus, & quæ maxime apparentia sint, & ex quibus vel ipsum vulgus facile persuadet morbum Gallicum esse presentem, sunt quæ sequuntur. Capillorum defluvium maxime vero eorum, qui ciliis, supercilis, & barbæ inhaerent, crustulæ, pustulæ & ulcuscula in cute capitis, in facie, in collo, & in reliquo corpore, ac cum his fœdis faciecolor, velesque rabor insignis, oculorum offuscatio, Palmarum, Facium & Narium exedentia ulcera, raucedo perpetua, oris colluvies, ipsius Capitis & aliorum membrorum gummata, Palpebræ inferiores livide, ut in foeminis menstrua patientibus, scissuræ, & rhagades in volis manuum, & pedum plantis, & alia nonnulla his non absimilia. Quibus accedant dolores artuum noctu maxime recurrentes, & molestantes, & alia quæ extra non apparent, de quibus idcirco nihil addo.

Hæc igitur, quæ pro signis infallibilibus morbi Gallici attulimus non uno ex capite omnia Irregularitatem inducere certum est, nam aliqua ob deformitatem, alia ob impedimentum liberi usus corporis, & alia aliter faciunt hominem irregularem; nam si capillorum defluvium consideremus, id quidem, ex magna deformitate hominem faciet irregularem, & ex magno scandalo, cum vulgus gravissimum, & foedissimum morbum illico dijudicet, in quo tale defluvium capillorum apparet, & forma faciei mirum in modum depravetur, maxime si cum capillis capitis etiam pili ciliorum, superciliorum, & barbæ decendant, unde tanti facit hanc turpitudinem Majol. loco cit. *num. 4.* ut tales quasi publicos, & manifestos criminolos, & infames ab ordinibus sacris, ut reliquos infames repellat. At vero neque ullum sanitati hujusmodi depilatio affert incommodum, nec in veritate magnum morbum indicat, cum inter signa, quæ morbum Gallicum leviozem esse demonstrant, sit defluvium capillorum. Tulian. Palmar. lib. 1. de Lue Vener. cap. 4. & cum eo Sennert. lib. 6. *Pract. part. 4. cap. 5.* & alii, contra autem scissuræ & rhagades in volis manuum neque ex deformitate, neque ex incommodo sanitatis Irregularitati debere causam dare videntur, sed tantum quia cum morbum gravissimum denotent, scandalum afferunt, est enim tale signum ex potioribus, & minus fallibilibus denotantibus gravem morbum Gallicum, ut omnes Doctores firmant.

Quod reliquum est videretur à Canonistis id indubitanter determinandum, Morbum Gallicum nempe, qui celari possit, non inducere Irregularitatem, non obstante quod incurabilis sit, & contagiosus, quia videntur hæc duæ causæ insufficientes ad inducendam Irregularitatem per se, nam de Incurabilitate nihil consideratione dignum occurrit, ubi non affocietur aliis causis efficacioribus, & de contagio idem dicendum, quando non est de facili.

ij. fff 4

cili